



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. XII. Aliæ objectiones solvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

Ad secundum inconveniens, dicendum est quod dicitur nulla est implicatio quod Deus actum odii crearet, secundum entitatem, actualitatem, virtualitatem, & abstractionem ad ordinem physicum, licet, & abstractionem ad ordinem metaphysicum, & in ipsum ut in ultimum finem reducibiles; & illum non causet secundum quod est moraliter malus, & regulis morum difformis, & prout ab ipso ut ultimo fine movetur. Ita etiam nulla est repugnantia, quod eundem actum velit & nolit, prædefiniat & prohibeat, diligat & averteatur, secundum diversas illas rationes, & formalitates. Id patet exemplo illarum rationum, & formalitatum, quæ vult & causat motum progressivum virtutis, quatenus est physicus & vitalis, non tamen, quatenus est deficiens, & obliquus. Et Deus positivè vult & causat actionem consecrati-
 veniæ, quatenus est supernaturalis, & productiva corporis Christi sub speciebus Eucharisticis; licet eam nolit, averteatur, & prohibeat, quatenus est male, & illicita. Denique sicut hæc duo non repugnant, quod scilicet iudex velit hominem vivere, in quantum homo est, & eum occidere, in quantum malefactor est: ita etiam nulla est implicatio, quod Deus voluntate antecedenti, quæ ab æterno voluit quod nullus peccaret, & omnes homines salvi fierent, & ex qua oriuntur consilia, præcepta, & auxilia solum sufficientia ad evitandum peccatum, nolit & prohibeat actum peccati, quatenus est malus, & regulis morum difformis; & quod voluntate consequente, quæ ut generalis provisor vult permittere peccata, & subministrare causas liberis media necessaria ad agendum; & quæ ut primum ens, & primum actus, vult producere entitatem, & actualitatem in omnibus rebus creatis, eundem actum, sub ratione entis & actus, efficaciter velit, & prædefiniat; voluntatemque applicet, & prædeterminet ad eum eliciendum.

A creaturæ rationalis, quam solum contingit esse felicem. Secundò pro remotione cujuscumque defectus. Et hoc modo relucet in prædeterminatione ad materiale peccati, quia per eam removeretur carentia ad usum secundi, quæ est quædam imperfectio & defectus voluntatis creaturæ. Relucet etiam iustitia, quia fit secundum modum convenientem divinæ sapientiæ, quæ debet permittere ut creaturæ defectibiles aliquando deficiant, & illis subministrare media necessaria ad agendum; & secundum modum creaturæ rationalis, qui in libertate consistit. Præterea in prædeterminatione ad materiale cujuscumque peccati, etiam primi, quod puer committit, dum se in primo instanti usus rationis, ad Deum (saltem implicitè, & sub ratione boni honesti) non se convertit, specialiter relucet divina iustitia. Quia, ut infra dicemus, & latius ostendemus in materia de prædestinatione, permissio primi peccati, quæ non solum includit volitionem denegandi auxilium efficax, sed etiam concurrendi ad materiale peccati, & subministrandi media necessaria ad agendum (inter quæ applicatio potentia præcipuè numeratur) fit in pœnam peccati originalis, & dependet ab ejus prævisione in genere causæ materialis & occasionalis; eoque se-
 C dem modo, quo Thomistæ, & plures alii docent in Tractatu de Incarnatione, decretum Incarnationis à prævisione ejusdem peccati dependere. Eademque ratio, in prædeterminatione ad materiale peccati, interdum splendet divina misericordia; quia sicut in reprobis permissiones peccatorum, sunt effectus reprobationis; ita & in electis sunt effectus prædestinationis, quæ est actus divinæ misericordiæ. De quo in Tractatu de præ-
 D destinatione, & reprobatione.

Dispositio
 3.
 art. 3.

§. XII.

Alia objectiones solvuntur.

Inhabis rursus: Quidquid Deus ad extra operatur, pertinet ad iustitiam & misericordiam: juxta illud Psalmi 14. *Univerſe via Domini misericordia & veritas.* Sed prædeterminare voluntatem hominis ad materiale peccati, non pertinet ad iustitiam, saltem in primo peccato quod committit, quando non se convertit in Deum, in primo instanti usus rationis, juxta doctrinam Divi Thomæ, cum permissio primi peccati, non possit esse pœna alterius. Nec etiam id pertinet ad misericordiam, cum homo operando actum peccati, in maximam potiùs incidat miseriam, quam sublevetur ab illa: Ergo Deus voluntatem creatam ad materiale peccati non prædeterminat.

O B jectio quarto: Si Deus prædeterminaret hominem ad materiale peccati, & ad ponendum actum positivum malitiæ substratum, illum tentaret, seduceret, & implanaret: Sed hoc non est dicendum, nam ut habetur Jacobi 1. *Deus intentator malorum est: ipse autem neminem tentat, & Ecclesiastici 15. Ne dicas, ille me implanavit:* Ergo Deus non prædeterminat voluntatem ad materiale peccati. Sequela Majoris probatur. Ille dicitur tentare aliquem, ipsumque seducere, & implanare, qui movet illum ad eliciendum aliquem actum, à quo scit malitiam esse inseparabilem; hac enim ratione diabolus dicitur tentare homines, eosque seducere, & implanare; quia movet illos & invitat ad eliciendos actus à quibus malitia separari non potest.

236

Respondeo distinguendo Majorem. Quidquid Deus ad extra operatur, ut particularis provisor, pertinet ad iustitiam, & misericordiam, concedo. Quidquid operatur, ut prima & universalissima causa, & ut provisor generalis, nego. Unde cum creatio, conservatio, & concursus, ad Deum ut primam causam, & universalem motorem, & generalem provisorum pertineant, non est necesse quod illæ operationes pertineant ad ejus iustitiam & misericordiam, sed sufficit quod spectent ad generalem illius providentiam. Quamvis etiam in prædeterminatione ad materiale peccati, aliquo modo illa attributa reluceant. Quia ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 21. art. 4. misericordia sumi potest dupliciter. Primò propriè, pro remotione miseriæ, quæ est defectus

B Confirmatur: Si Deus præmoveret moraliter hominem ad materiale peccati, præcipiendo, suadendo, vel consulendo actum à quo malitia est inseparabilis, verè diceretur illum tentare, seducere, & implanare, ac centeretur author & causa peccati: Ergo à fortiori, si illum physicè moveat, & prædeterminet ad talem actum eliciendum. Consequentia patet: motio enim & prædeterminatio physica, cum sit ex se, & ab intrinseco efficax, habeatque nexum indissolubilem cum operatione, est multò major & vehementior, quàm moralis, quæ extrinsece solum & objectivè allicit & invitat agens ad operandum.

237

238. Respondeo primò, hoc argumentum facile posse in Adversarios retorqueri. Cum enim juxta illorum principia, Deus per scientiam mediam videat infinitas occasiones & circumstantias in quibus homines non peccarent, sed bene operarentur; & tamen eos ponat in aliis in quibus per eandem scientiam præcavit illos infallibiliter peccaturos, videtur quòd illos tentet, seducat, implanet, & supplantet, & moraliter ad peccandum moveat. Sicut enim occasiones peccandi moraliter movent & incitant homines ad peccandum, ita & qui eos ponit in illis, censetur illos tentare, & ad peccandum inducere; ac proinde esse causa peccati, quod cum sit effectus, vel potius defectus moralis, refundi debet in causam moraliter moventem. Unde ad objectionem.
239. Respondeo secundò, distinguendo Maiorem, Si Deus prædeterminaret hominem ad materiale peccati, moraliter, præcipiendo, consulendo, vel suadendo, elicere actum à quo malitia est inseparabilis, illum tentaret, seduceret, & implaneret, concedo Maiorem. Si prædeterminaret solum physicè, & producendo per modum primæ causæ, & universalis provisoris, entitatem, & actualitatem talis actus, nego Maiorem: ad cujus probationem, eadem distinctio applicanda est.
240. Ad confirmationem quæ ibidem obijungitur, & potissimum militat contra responsum jam datam, concessio Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem. Multiplex enim inter motionem physicam & moralem reperitur discrimen. Nam prima (ut supra annotavimus) est præcisiva, & sistit intra ordinem physicum, non autem secunda, quæ se extendit ad ordinem moralem, & attendit potissimum ad ea quæ sunt illius ordinis. Prima solum respicit entitatem, actualitatem, & bonitatem transcendentalem, quæ sunt effectus per se primò correspondentes divinæ omnipotentia, & abstrahit à conformitate vel difformitate à lege. Secunda verò potissimum respicit ea quæ sunt intra lineam motus, & attendit, vel attendere debet ad omnes circumstantias illius ordinis, & præcipue ad conformitatem, vel difformitatem à lege. Prima convenit Deo, ut habet rationem causæ primæ, & universalis provisoris, qui debet dare causas secundis media necessaria ad agendum. Secunda verò illi competit, ut causæ particulari, & provisorii speciali, qui non solum subministrat media necessaria, sed etiam utilia ad operandum. Unde quamvis si Deus moveret hoc secundo modo hominem ad producendum actum malitiæ substratum, censeretur illum tentare, seducere, & implanare, essetque causa & author peccati; ut supra ostendimus contra Calvinum, qui hoc genus motionis Deo attribuit. Secus tamen si illum moveat tantum primo modo, applicando physicè ejus voluntatem ad eundem actum, in quantum est ens & actus, elicendum. Ad probationem verò in contrarium quæ ibidem insinuat, dicendum est, quòd licet motio physica sit major morali intensivè, id est potentior, & efficacior, est tamen minor extensivè; quia, ut diximus, sistit intra ordinem physicum, nec se extendit ad ordinem moralem, sicut motio moralis.
241. Instabis: Præmotio vel prædeterminatio physica voluntatis ad aliquem actum, supponit necessariò ex parte intellectus motionem moralem: quia cum voluntas sit potentia cæca, non potest ferri in aliquid objectum, nisi prius ab intellectu ejus bonitas & convenientia demonstratur, ac proinde nisi prius intellectus moveatur & applicetur à Deo ad talem bonitatem representandam: Sed hæc representatio est moralis motus & excitatio. Ergo si voluntas à Deo physicè moveatur & prædeterminetur ad materiale peccati, debet etiam ab illo moraliter moveri, & prædeterminari, & consequenter erit author & causa peccati.
- Respondeo duplicem dari motionem moralem. Unam quæ fit per solam & nudam objecti propositionem, abique eo quòd aliquid consideratur, suadeatur, vel præcipiatur. Alteram quæ supra nudam objecti representationem addit aliquid per modum inspirationis, persuasionis, consilii, precum &c. quo voluntas inducatur & incitetur ad aliquid volendum, vel respuendum. Prima motio non pertinet propriè ad ordinem moralem, sed sistit intra ordinem physicum, & abstrahit à conformitate vel difformitate à lege. Secunda verò dicitur propriè moralis, & causat actum ad quem movet, non solum in quantum pertinet ad ordinem physicum, sed etiam ut spectat ad lineam motus, & ut est conformis vel difformis à lege. Dicimus ergo, Deum movere moraliter voluntatem ad materiale peccati, solum primo modo, representando scilicet bonitatem physicam objecti, ejusque utilitatem, aut delectabilitatem; prout tales rationes pertinent ad ordinem physicum, & abstrahunt à conformitate, vel difformitate à lege. Cum enim talis representatio sit aliquis actus intellectus, & aliquod iudicium practicum, oportet quòd sit à Deo tanquam à primo movente, & prima causa efficiente, ut colligitur ex D. Thoma in 2. sentent. ad Armbaldum, dist. 37. quæst. unica art. 1. ad 3. ubi dicitur quòd non solum actus peccati est à Deo, sed etiam ipsa cogitatio quæ homo cogitat actum peccati exequendum, in quantum talis cogitatio est actus & ens. Quod probat ex illo 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Secunda verò motio moralis, quæ fit per modum consilii, suasionis, vel inspirationis, non est à Deo, sed à Diabolo, vel à concupiscentia. Nam ut dicitur Jacobi 1. *Deus inventator malorum est, ipse autem neminem tentat: unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*
- Dices cum quodam Recentiore, Deus prædeterminat suasionem quibus Dæmon movet nos moraliter ad peccandum: Ergo non solum physicè, sed etiam moraliter, prædeterminat ad actus malos.
- Respondeo distinguendo Antecedens: prædeterminat suasionem quibus Dæmon movet nos moraliter ad peccandum, quatenus tales suasiones sunt actus quidam physici & vitales, concedo Antecedens: quatenus sunt malæ moraliter, & ad peccatum inducentes, nego Antecedens, & Consequentiam. Sicut enim in sententia Adversariorum, Deus tales suasiones, ut sunt actus quidam physici & vitales, per concursam simultaneam in Dæmonibus causat, & tamen non censetur causa moralis peccati; ita nec debet dici moraliter movere ad actus malos, quamvis prædeterminet suasionem quibus Dæmon movet nos moraliter ad peccandum, ut actus quidam physici & vitales sunt.
- Obijcies quintò, & dices, nostram sententiam videri rudem & asperam, ac repugnantem divinæ

divinae bonitati & aequitati : injustum enim videtur, quod Deus aeterno supplicio hominem puniat propter actus quos ab aeterno praedestinavit eum eligentium ; & ad quos eligendos, motione efficienti, & cum actu indissolubiliter connexa, voluntatem ejus applicavit, & praeterdeterminavit. Quod explicat quidam Recentiores exemplo Judaei, qui procul dubio esset iniquus, si rem tanto subtiliter mitteret in peram alicujus, & postea illum tanquam de furto convictum, morti adjudicaret.

Respondeo primo, hoc etiam telum facile posse in Adversarios retorqueri : Divinam enim bonitatem & aequitatem repugnare videtur, quod cum videatur per se in infinitas occasiones & circumstantias, in quibus homo non erat peccator, sed bene operaturus, noluit eum in illis constituisse, sed potius in aliis in quibus per eandem scientiam praescribit eum infallibiliter in peccatum lapsurum. Non minus enim repugnat hominem positum in illis occasibus & circumstantiis, in quibus Deus praevidebat illum peccaturum, non labi in peccatum, quam hominem ad materiale peccatum praedeterminatum, actum illum non elicere, nam sicut implicat Dei voluntatem frustrari, ita & ejus praescientiam falli. Unde exemplum Judaei potest etiam in illos retorqueri. Si enim Judex propriam uxorem aut filiam duceret & traheret ad lapsum, in quo certo sciret, illam ab impudicis fore constuprandam, & violandam : postea postea iuste illam punire, & morti adjudicare propter adulterium commissum ? Eaque nonne haberet iustissimam causam excusationis, & querimoniam adversus illum ? Item si quis duceret aliquem ad saltigium turris, vel ad supercilium montis, ex quo certo sciret eum in praecipitium lapsurum ; vel in sylvam in qua deberet latronibus spoliarum, plagis affici, & tandem jugulari : talis certe nonne esse causa solum permissiva, & non positiva casus, & mortis illius ? Videant ergo Adversarii, quomodo tela projecta redeant in projectentem, & difficultas proposita, nobis & illis communis sit. Hoc praemisso.

Ad objectionem directam respondeo, negando Majorem. Ad cujus probationem, dicendum est, quod sicut licet magister manum discipuli ad scribendum applicet, & physicè praemoveat ; & cum illo, non solum simultaneo, sed etiam praevio consensu, ad scribendum concurrat : quia tamen discipulus à rectitudine talis motionis & applicationis subtrahens, inducit & causat in scriptione obliquitatem, deformitatem, & defectum : metetur ab illo corripitur, & flagellatur. Item sicut licet in sententia Adversariorum, Deus determinet voluntatem creatam ad actum peccati in individuo, in quo (ut supra annotavimus) reperitur aliqua specialis malitia, quae illi non convenit secundum suam rationem specificam (ea scilicet quae sumitur ex intentione gradualem actus, vel ex circumstantiis intra eandem speciem aggravantibus) tamen iustissime speciale illam malitiam, in reprobis aeterno supplicio puniat : quia scilicet, quamvis Deus determinet ad substantiam & entitatem illius actus individualiter considerati, non tamen ad speciale illam malitiam & deformitatem, quae illi ex defectibilitate voluntatis adiungitur. Ita similiter nos dicimus, quod licet Deus ad speciem & entitatem actuum malorum, in esse physico & naturali consideratam, quae transcendentaliter bona est, & in Deum ut in ultimum finem reducibilis, voluntatem creatam, ut prima

Tom. I.

A causa, & universalis totius entis provisor, moveat, applicet, & praedeterminet ; quia tamen peccator à regulis morum devians, & à rectitudine divini concursus se subtrahens, tali entitati superinducit malitiam & defectum moralem, iustissime à Deo corripitur, & castigatur ; nullaque datur peccatoribus iusta excusationis vel querimoniae causa adversus Deum.

Instabis, Demus aliquem gravi aliqua tentatione vexatum, & considerantem utrinque motiva ad eam inducentia, & ab ea deterrita praedeterminati à Deo ad materiale peccati : nonne ille habebit legitimam excusationem, & merito dicere poterit, se tale peccatum commississe, quia dubitans, & quasi pendulus inter motiva contraria, fuit à Deo in talem actum inclinatus, & ad illum praedeterminatus ?

B Respondeo nullam tali homini dari legitimam causam excusationis & querimoniam : Tum quia non fuit à Deo praedeterminatus nisi ad entitatem & substantiam actus in esse physico & naturali consideratam : ille verò ex propria defectibilitate, ad ejus deformitatem, & malitiam moralem se determinavit. Tum etiam, quia stante tali praedeterminatione poterat (potentia saltem antecedenti, & in sensu diviso) non ponere illum actum,

249 Addo quod, licet Deus in genere causae efficientis, & per modum primae causae, & universalis provisoris inchoet illum actum, sub ea ratione quae est physica & vitalis (aliàs enim non posset habere rationem primae causae, & primi principii respectu illius, ut supra ostendimus) homo tamen illum inchoat in alio genere causae, materialis scilicet & dispositivae, quatenus objectivè & materialiter movet Deum, ad praebendum influxum illum praevium in materiale peccati. Cum enim natura humana per peccatum originale sit vitata & corrupta, & magis in malum quam in bonum propensa : ratione corruptionis appetitus sensitivi, rebellionis concupiscentiae, & propensionis quam habet ad peccatum ; objectivè & materialiter movet Deum, ut aliquando in poenam peccati praecedentis, saltem originalis, ei denegeret auxilia efficacia ad vitandum peccatum, eaque ad materiale peccati praedeterminet. Ita expressè docet S. Prosper respondens ad primam objectionem Gallorum, qui dicebant ex doctrina sancti Augustini sequi, quod ex praedestinatione Dei, veluti fatali necessitate, homines ad peccatum compellerentur, & traderentur in perditionem. Quod etiam Catholicis imponebat olim Faustus Semipelagianorum Antesignanus, ut videri potest lib. 1. de gratia & libero arbitrio, cap. 18. & 19. Respondens inquam, D. Prosper illi objectioni, seu potius calumniae Semipelagianorum, sic ait : *Qui praedestinationis nomine fatum predicat, tam non est probandus, quam qui fati nomine veritatem praedestinationis infamat : fati enim opinio nova est, & de falsitate concepta : praedestinationis autem fides, multa sanctorum Scripturarum auctoritate munita est, cui nullo modo fas est, ea quae ab hominibus male aguntur ascribi, qui in proclivitatem cadendi, non ex conditione Dei, sed ex primi patris praevaricatione venerunt. Idem colligitur ex D. Thoma 2. 2. quaest. 2. art. 5. ad 1. ubi ex Augustino docet auxilium gratiae hominibus in statu naturae lapsae, in poenam praecedentis peccati, saltem originalis, interdum denegari. Idem etiam constabit ex dicendis in Tractatu de praedestinatione, ubi ostendemus, juxta doctrinam utriusque sancti Doctoris, reprobationem negativam (id*

D

Diff. 5. art. 3.

et decretum denegandi gloriam ut beneficium indebitum) fieri ex prævisione peccati originalis, ac proinde primam permissionem peccati (quæ non solum importat denegationem auxilii efficacis, sed etiam decretum influendi per modum primæ causæ, & universalis totius entis provisoris, in materiale peccati) esse illius effectum.

250 Ex hac doctrina facile intelliges & expones locum D. Anselmi, cui potissimum confidunt Adversarii, desumptum ex libro de casu diaboli cap. 28. ubi, inquit, docet Deum non sponte dare concursum ad motum voluntatis pravum, sed ut rapiatur permittit. Nam præterquam quod Anselmus in toto illo capite, ne verbum quidem habet de concursu Dei, & loquitur solum de malo usu, seu de abusu liberi arbitrii, quem dicit non esse à Deo, sicut ipsam volendi potestatem; facile posset explicari, juxta principia jam tradita, dicendo scilicet, influxum prævium in materiale peccati, non dari sponte à Deo, & à voluntate creata aliquo modo rapi: quia illa, ut jam ostendimus, ratione propensionis quam habet ad peccatum in statu naturæ lapsæ, & ratione peccati præcedentis, saltem originalis, Deum aliquo modo (objectivè scilicet & materialiter) movet, & determinat, ac veluti cogit ad præbendum influxum & concursum prævium ad materiale peccati. In quo etiam sensu posset explicari illud ita: *Servire me fecisti in iniquitatibus tuis.*

251 Instabis rursus, & dices, hac responsione non evacuari penitus difficultatem, nam idem argumentum potest fieri de Angelis, & primis parentibus in statu innocentie, & quæri, cur Deus illis denegaverit auxilia efficaciam ad perseverandum, eoque prædeterminaverit ad materiale inobedientie, potius quam ad observantiam & impletionem præcepti? Cui difficultati non potest satisfieri, recurrendo ad culpam præcedentem, quæ indignitate suâ Deum moverit ac determinaverit, ad illis denegandum auxilia efficaciam, & prædeterminandum ad materiale peccati, cum illud peccatum fuerit omnium primum, & nullam culpam præcedentem supposuerit.

252 Respondeo primò, quod sicut Adversarii nullam possunt assignare causam, cur Deus Angelis & primis parentibus denegaverit gratiam congruam ad perseverandum in bono, eosque posuerit in illis circumstantiis & occasionibus in quibus per scientiam mediam præviderat illos in peccatum inobedientie infallibiliter esse lapsuros; sed tenentur cum Apostolo recurrere ad inscrutabilia judicia Dei: ita etiam nulla potest assignari ratio, cur Deus Angelis, & primis parentibus denegaverit auxilium efficaciam ad implendum præceptum, & eos ad materiale inobedientie prædeterminaverit, nisi quia ita voluit. Nec aliter responder Augustinus lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 10. ubi loquens de casu Adami & Angelorum ait: *Sed posset inquit etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane: cur ergo non fecit? quia noluit: cur noluerit, penes ipsum est.*

253 Secundo respondeo cum eodem Augustino, quod Deus voluit permittit casum Adami & Angelorum, ut ostenderet defectibilitatem liberi arbitrii creati, quod ut dicit S. Doctor de corrept. & gratia cap. 11. *Ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Et Tractatu de cantico novo cap. 8. *Quid, inquit, valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum*

A *sufficit sibi: ad bonum, non, nisi adjuvetur à Deo.*

Denique cum Joanne S. Thoma, alioque recentioribus Thomistis, responderi potest, Deum fuisse motum & determinatum ad denegandum Angelis & primis parentibus auxilium efficaciam ad prædeterminandum illos ad materiale peccati inobedientie, ab ipsamet culpa concomitante, quæ licet fuerit in eodem instanti in quo, cum denegatione gratiæ, & prædeterminatione ad materiale peccati, utramque tamen præcellit prioritate naturæ, seu instantis à quo, in genere causæ materialis dispositivæ: coque ferè modo, quo corruptio antecedit generationem, vel actum contritionis & charitatis gratiam sanctificantem, à qua in sententia Thomistarum procedunt; & universaliter omnes dispositiones concomitantes formam, à qua per modum proprietatis dimittunt, ut docet S. Thomas, p. quæst. 7. art. 13. ad 2. his verbis: *Calor qui est dispositio ad formam ignis, est effectus profuens à forma ignis: Vel denique sicut apertio fenestræ, quæ licet effectivè procedat ab ingressu venti in aulam, ad illum disponit, & illum in genere causæ materialis dispositivæ antecedit: quia remorio impedimenti se habet veluti quædam dispositio, saltem negativa, ad introductionem formæ. Sicut ergo in præfatis exemplis patet, quod nunquam fieret generatio, nisi præcederet corruptio; nec forma ignis introduceretur in lignum, nisi per calorem ut oïa esset dispositum; nec peccator gratiam sanctificantem reciperet, nisi eliceret actum contritionis & charitatis, nec denique ventus intraret in aulam, nisi fenestra aperiretur. Ita similiter, nisi homo vel Angelus prius naturæ se determinaret ad formale peccati, vel ad materiale fundamentaliter sumptum, non prædeterminaretur à Deo ad materiale materialiter sumptum, seu ad entitatem physicam, quæ malitiæ moralis liberetur.*

Quod diximus de prædeterminatione temporali, applicari debet æternæ prædefinitioni, seu decreto prædeterminanti, à quo profluit, & cujus est executio; eademque mutua prioritas in diverso genere causæ, inter prædefinitionem materialis peccati, & prævisionem culpæ, seu determinationem ad formale, admitti. Unde sicut diximus, quod idem Deus prædeterminat voluntatem creatam ad materiale peccati, quia illa prius naturæ seipsam determinat ad formale, vel ad materiale fundamentaliter sumptum, ita etiam, juxta hanc solutionem & doctrinam, dicendum est, Deum entitatem & actualitatem in materiali peccati imbibitam, idcirco ab æterno prædefinire, quia prævidit voluntatem creatam, seipsam ad formale, vel ad materiale fundamentaliter sumptum, ex propria malitiæ & defectibilitate determinaturam.

Si autem quæras, in quo medio talis præscientia fundetur? Breviter respondeo, illam fundari velin decreto denegandi auxilium efficaciam ad evitandum peccatum; supposita enim auxilii efficacis denegatione, sequitur infallibiliter (non quidem consecratione physica, sed logica) ut alibi exposuimus, quod voluntas peccabit, & ad formale peccati vel ad materiale fundamentaliter sumptum, se determinabit. Sicut ex subtractione salis, sequitur infallibiliter corruptio carnis, vel ex remotione columnæ calus lapidis.

Vel etiam dici potest (& hæc responsio videtur verior, & principis Thomistarum conformior) talem præscientiam non fundari in alio medio, quam in ipsamet prædefinitione, seu decreto po-

frivo prædeterminandi voluntatem creatam ad
 materiale peccati materialiter sumptum. Ut e-
 matetale decretum habeat rationem medii re-
 quiritur, quod illam omni-
 bus modis, & in omni genere causæ, antecedit,
 sed sufficit quod eam præcedat in aliquo priori
 instanti, & instantis à quo, in aliquo genere cau-
 sationis, quamvis illa in alio genere supponat, & sub-
 sequatur, ut constat in exemplis supra adductis.
 Ex dictis intelliges, quod licet decretum quo
 Deus statuit ab eterno ad actus malos & pecca-
 tum hominum & Angelorum concurrere,
 in aliquo sensu, prædefinitio & prædeterminatio ap-
 pellari possit; potest tamen etiam post definitio &
 post determinatio nuncupari: licet enim in aliquo
 genere causæ sit prior determinatione volunta-
 tes creatæ, in alio tamen est eâ posterior, & ab illa
 dependet, modo explicato, subindeque postde-
 finitio, & postdeterminatio appellari potest.
 Contra hanc doctrinam, & mutuum illam
 inter voluntatem creatam & voluntatem
 divinam, & Adversarii plures instantias, quæ supra so-
 luntur. Et de hoc iterum agendum erit in
 tractatu de justificatione, explicando mutuum
 prædeterminatum causalitatis & dependentiæ, quæ
 inter gratiam sanctificantem, & actus contritio-
 nis & charitatis intercedit.
 Solum hic advertendum est, doctrinam illam
 de mutua causarum dependentia & causalitate,
 non esse Scholæ Thomisticæ peculiarem, sed
 plures etiam ex Patribus Societatis eam ample-
 ctuntur. Vazquez enim illa utitur in materia de justi-
 ficatione, ad explicandum quomodo actus cha-
 ritatis & contritionis effectivè à gratia justifi-
 cante procedant, & nihilominus ad illam dis-
 ponant. Bellarminus etiam illam mutuum depen-
 dentiam inter voluntatis actum, & judicium
 prædictæ prædictum à quo dirigitur agnoscit.
 Etenim Claudius Typhanius, ejusdem Theo-
 logus, librum edidit de ordine, deque prioritate
 posteriori, in quo fuisse dissertit de hac mu-
 tua antecessione diversis generis causarum. Cur
 ergo nobis pariter non licebit illa hic uti, ad di-
 scussenda argumenta quibus Adversarii nos ur-
 gent, & clavum clavo trudere, ac subtilitates
 Scholæ, alius subtilitatibus enodare? Præsertim
 cum Cardinalis Delugo ingenue fateatur, Vaz-
 quem & alios qui mutuum illam prioritatem in
 diverso genere causæ admittunt, non posse im-
 pugnare efficaciter præmotionem physicam, &
 gratiam prædeterminantem, quam Thomistæ
 docent, eâque mutua prioritate semel constitutâ,
 Thomistæ qui ad illam confugerint, ab illorum
 Recentiorum argumentis tutos esse. Et quam-
 vis daretur doctrinam illam de mutua causarum
 dependentia, non esse certam, vel demonstrabi-
 lem, nemo tamen inficiari potest, eam ad minus
 esse valde probabilem, multosque tum intra tum
 extra Scholam D. Thomæ habere defensores, ac
 variis tum naturæ tum gratiæ exemplis suaderi
 posse; quod sufficit ad retundendum impetum
 Adversariorum contra nostram sententiam,
 quia ut communiter dicitur, *solvere probabiliter,
 est salvare evidenter.*

§. XIII.

Proponuntur duo argumenta desumpta ex definitione
 Tridentini, Lutheri & Calvini errorem prosci-
 bentis.

Obijciunt insuper quidam Recentiores defi-
 nitionem Trident. sess. 6. can. 6. ubi sic ha-

betur: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias
 suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum o-
 perari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per
 se: adeo ut sit proprium opus ejus, non minus proditio
 Indæ, quàm vocatio Pauli, Anathema sit.* Ex qua de-
 finitione Tridentini, duo erunt argumenta
 contra nostram sententiam. Primum est: In hoc
 canone proscibitur error Lutheri & Calvini, &
 damnatur illud quod ipsi assererant: At illi non
 dicebant Deum esse authorem peccati formaliter,
 aut formaliter instigare & movere ad ma-
 lum; sed solum esse authorem illius voluntatis,
 quâ homo dum peccat, consentit, & succumbit
 tentationi, & ad illam voluntatem determinare;
 imò ad voluntatem creatam reducebant ipsum
 peccatum. Nam Calvinus lib. 2. instit. cap. 4. sic
 ait: *Excusatio impiorum, & quæcumque inde sequun-
 tur flagitia, opera Sathana nuncupantur: quorum ta-
 men causa extra voluntatem humanam quaerenda non
 est, ex qua radix mali surgit, in qua fundamentum re-
 gni Sathana (hoc est peccatum) residet.* Ergo Tri-
 dentinum damnat formaliter opinionem, quæ
 tenet Deum applicare voluntatem creatam ad
 entitatem, sive materiale peccati.

Secundum argumentum sic à quibusdam Re-
 centioribus proponitur. Concilium in illo cano-
 ne damnat sententiam quæ docet Deum non
 se habere permissivè solum in ordine ad pecca-
 ta: Sed hæc sequitur ex sententia quæ asserit
 Deum prædefinire & prædeterminare materia-
 le peccati: Ergo hæc sententia cum definitione
 Tridentini coherere nequit. Major patet, Mi-
 nor verò probatur. Qui causat aliquid ad quod
 aliud infallibiliter & inevitabiliter sequitur,
 non censetur, nec dici potest (nisi abusivè & nu-
 gatoriè) se habere permissivè solum in ordine ad
 illud. Nam quia mors & cæcitas v. g. infallibili-
 ter, & inevitabiliter, ad abscissionem capitis, aut
 confixionem oculorum, sequuntur; absurdum
 & ridiculū esset asserere, quod ille qui alteri ca-
 put abscindit, vel oculos configit, permissivè
 tantum se habeat ad ejus mortem, vel cæcitate-
 m. Sed ex prædefinitione & prædeterminatione
 materialis peccati, infallibiliter, & inevitabi-
 liter sequitur peccatum: quia impossibile est ut
 homo habeat actum positivum odii Dei v. g. in
 voluntate, & actum intellectualem quo cognoscit
 per judicium indifferens, hunc actum esse ma-
 lum & prohibitum, & non peccet: Ergo & c.

Confirmatur primò: Deum permissivè con-
 currere ad aliquid, est illud non impedire, cum
 possit: Sed positâ prædeterminatione ad mate-
 riale peccati, Deus non potest impedire seque-
 lam malitiæ, ut jam ostendimus: Ergo nec per-
 missivè ad illam se habere.

Confirmatur secundò: Ut Deus prædetermi-
 nans voluntatem ad materiale peccati, possit di-
 ci se habere permissivè solum in ordine ad for-
 male, oporteret quod positò materiali, restaret
 adhuc aliqua alia actio, per quam produceretur
 formale: Sed positò materiali nulla restat actio,
 per quam producat formale, cum illud imme-
 diatè resultet ad positionem materialis, sicut re-
 lationes & privationes immediatè resultant ad
 positionem fundamenti: Ergo Deus prædetermi-
 nans voluntatem ad materiale peccati, non
 potest dici se habere permissivè in ordine
 ad formale.

§. XIV.